

bezeugt ungewollt Kephisodoros, daß das aristotelische Werk nicht eine einfache Sammlung von Sprichwörtern gewesen ist, die ja auch zu irgendwelcher Erregung keinen Anlaß gegeben hätte.

Wie leicht Namen verlesen werden können, dafür nur ein Beispiel: im Scholion zu Aristoph. av. 1354 ist die Überlieferung Θεόπομπος, wie Ruhnken bereits bewiesen hat, als Theophrast zu lesen. Das Fragment, das wir hier Aristoteles zurückgeben, gestattet es immerhin, über die Art dieser frühen Schrift und ihre sachbedingte lehrhafte Auswirkung ein erstes Urteil zu gewinnen.

Saarbrücken

Rudolf Stark

DE SOMNII SCIPIONIS TEXTU CONSTITUENDO

II. Singillatim de quibusdam locis

1. A variantibus Tusculanarum disputationum lectionibus, a quibus tota quaestio de natura atque indole memoriae Macrobianae profecta est¹⁾, ordiamur. Edmundus Hauler^{1a)} fieri potuisse existimat, ut Cicero, cum elocutionem loci e Platone Latine versi in Tusculanis perpolire studeret, textum Graecum iam non consuleret; nec temere, ut mihi quidem videtur. Platonem enim si revolvisset^{1b)}, propositionem ψυχῆ πᾶσα ἀθάνατος, quae in Somnio non sine causa deest^{1c)}, haud facile omisisset, quippe in qua totus Tusculanarum locus versaretur. nunc autem particulam *nam*, a qua ratio Platonis in Somnio incipit, eiecit, videlicet quia se ipsum eam inseruisse putabat, ut verba Platonis

1) Plagulis prioris partis iam nihil addi poterat, cum Kappi iudicium de loco Somnii 135, 5 sq. *deum te esse scito, siquidem est deus* . . . in Hermae vol. 87, 1959, 129 sqq. pervulgatum est. quo, si rectum est, vel maxime probatur Macrobius exemplo vulgatae editionis iam interpolato usum esse.

1a) Wiener Studien 42, 1920/21, 185.

1b) Non enim ad sententiam Martini van den Bruwaene accedere possumus, qui Ciceronem non ex integro opere Platonis, sed ex Posidonio rationem de animi immortalitate excerptisse putat (Ψυχῆ et νοῦς dans le „Somnium Scipionis“ de Cicéron, L'Antiquité classique 8, 1939, 127—152); cf. P. Boyancé, Sur le Songe de Scipion (26—28), *ibid.* 11, 1942, 5—22; A. D. Leeman, De Aristotelis Protreptico Somnii Scipionis exemplo, *Mnemosynae ser. IV vol. 11*, 1958, 146.

1c) Rectissime de ea re iudicavit Boyancé op. laud. p. 8, not. 3 contra van den Bruwaene p. 129 sq. 142.

cum praecedentibus rite coniungeret ^{1d}). nescio etiam an ipse auctor Tusculanarum 135, 26 *et* omiserit vel nimia negligentia in transcribendo usus vel quod non senserit se verba principis philosophorum alterare, dum orationem suam concinnare studeret. quod haud facile evenisset, si Graecum ei promptum fuisset ^{1e}).

Ziegler autem contra Haulerum affirmat Ciceronem in spectro iterum archetypo Graeco translationem suam Latinam corrigere voluisse. sed quod Ziegler argumentatur Tullium 136, 1 neglecta consulto scriptura Platonis τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου verbum patiendi cum agenti (*quod ipsum se moveat*) commutavisse, ut retenta eadem locutione (*quod se ipsum moveat* = τὸ αὐτὸ κινῶν, cf. 135, 14; 136, 6) ratiocinationem dilucidiosem redderet, quaerendum est, cur 135, 24 *quod ipsum a se movetur* adaptare praetermiserit, ubi apud Platonem τὸ αὐτὸ κινῶν scriptum videmus. immo multo probabilius videtur Ciceroni interpretationem suam recognoscenti clausulam hexametri desinentis displicuisse (*esse quod a se ipso moveatur* — ∪ ∪ | — — | — ∪ ∪ | — ∪) ²). nemo autem contendet Ciceroni exemplar Graecum adhibendum fuisse, ut verba Platonis τὸ αὐτὸ κινῶν subtilius Latine redderet, cum ea sine dubio memoria tenuerit.

Cum igitur neque errores variis Tusculanarum lectionibus corrigantur neque pro certo habere possimus auctorem eas in textum de re publica introduci voluisse, formam codicum universum spectanti retinendam ³), varietatem Tusculanarum in apparatus criticum relegandam esse censeo.

2. 135, 14 *sese movet*: negamus invito Castiglioni (p. 350) textum interpolatum esse, sed lectionem archetypi eandemque auctoris in codicibus ABGLTUV superesse fidenter contendimus. nam quod scripserunt PRW² *de se movet*, ex illo corruptum esse iam pridem Hauler (p. 185) rectissime exposuit ⁴) et

1d) Cf. Boyancé l. c.; Ch. Josserand, L'âme-dieu, L'Antiquité classique 4, 1935, 152, 1 (ubi Harder illud *nam* in suspicionem vocaverit, equidem non video. an p. 125, 1? at illic locum 136, 4 *nam haec est etc.* tangit).

1e) Etiam alioquin Ciceronem ad sua ipsius scripta recurrisse veri simile est, cf. infra not. 8; Boyancé l. c.

2) Cf. imprimis Laurand II³ 179 sq.

3) In ea re ad Hauleri sententiam praeter Zieglerum in editione minore Teubneriana a. 1923 (cf. supra p. 269, 17) accessit R. Meister, Wiener Studien 58, 1940, 111.

4) Vana quadam argumentatione Castiglioni, Rendiconti 350, n. 1 probare conatur *se ipsum movet* genuinam lectionem esse. putat enim *de e*

de se movetur CEFZ, quod Osann, Halm, nuperrime etiam Magariños ediderunt, a quodam correctore, qui frustra corruptelae codicum PRW² mederi studebat, excogitatum est⁵⁾. scripturam codicum WY⁶⁾ *se movet* ut per ἀπλογραφίαν ortam, ita lectione librorum ABGLTUV inferiorem esse nemo non videt. coniectura C. F. W. Mülleri *sepse movet* iam ab Eyssenhardtio, nuper etiam a Castiglioni sprete refutatione Hauleri recepta est. quae licet per se non sit vituperanda, tamen respuenda est, cum *sese* ab auctore 136, 6 (*sese moveat*) iterum ad vertenda verba Graeca τὸ αὐτὸ κινουῦν usurpetur⁷⁾. neque quicquam proficit Castiglioni, cum Cat. mai. 78 confert, ubi Cicero in eadem re *se ipse moveat* dicit — quis enim auctorem verba sua paululum variare vetabit?⁸⁾ — neque Müller nos vincit, cum ad Sen. ep. 108, 32⁹⁾ nos delegat. nam errat quidem Hauler Senecam locum de rep. III 12 tangere ratus, quoniam eo loco *sepse* non pro *se ipse*, ut grammaticus a Seneca

marginē, ubi deesse *ipsum* indicavisset, perperam in textum irrepsisse. quam opinionem in editione tacite abiecit coniecturam C. F. W. Mülleri *sepse* amplexus.

5) Haud scio an parum Latine dictum sit. apud Ciceronem videmus 135, 24 *a se movetur* 136, 1 *a se ipso moveatur*; nat. deor. II 32 *ex se moveatur* (cf. Hauler 185); Sen. quaest. nat. II 8: *Dicimus enim eodem modo non posse quicquam ab alio moveri nisi aliquid fuerit mobile ex semet [ipso]*. apud Macrobiū locum Platonis in commentariorum libro posteriore tractantem (c. 13—16) legimus *a se moveri* (II 15, 25), persaepe *ab alio moveri* (II 14, 7, 9 bis. 10 bis. 12 bis. 14. 16 ter. 17 ter. 20. 21 sexies. 22 ter; 15, 4 bis. 5 bis. 9. 14. 21 ter. 25 bis. 26. 28 [ab anima]; cf. II 14, 10 *a causa*), *ex se moveri* (II 13, 6. 10 bis. 11 bis. 12 bis; 14, 1. 2 bis. 6. 7 ter. 15; 15, 3 bis. 4 bis. 6 ter. 14 bis; cf. *ex accidenti m.* (II 14, 8 bis. 9 bis; *ex parte* II 14, 9; *ex causa* II 16, 14), *per se moveri* (II 14, 8. 9 bis. 10; 15, 10 bis. 12 bis. 14. 27. 32 bis; cf. *per se ferri* II 14, 12); cf. Kühner-Stegmann I p. 501 t.

6) Deest lectio codicis Y in Ziegleri apparatu.

7) Neque Osanno 410 credimus, Tusculanarum loco quod addatur *ipsum* doceri *sese movere* non posse dici, ubi de aliquo agatur, qui non de (sic!) alio, sed de (sic!) semet ipso moveatur, neque Senecae locus, quem modo laudavimus, Osanni opinioni favet. lectionem *sese*, quam 134, 14 vitiosam esse declarat, 136, 6 intactam reliquit Osann a se ipso deficiens. nimirum non vidit editor de opere Tulliano bene meritus se non solum editoribus vetustioribus fere universis adversari, sed etiam ipsum secum pugnare. cf. etiam 135, 24, ubi, id quod diximus, *de se movetur* scribit.

8) Locus de senectute ad Tusculanas pertinere videtur (de Cicerone suo ipsius fonte cf. Boyancé 150 sqq.) neque plus valet ad Somnii textum constituendum quam ipsae Tusculanae disputationes. cf. infra p. 362.

9) = libr. incert. frg. 7 (p. 137 Z.): *eosdem libros* (scil. de republica) *cum grammaticus explicuit, primum verba expressa reapse dici a Cicerone, id est re ipsa, in commentarium refert, nec minus sepse, id est se ipse.*

laudatus vult, sed pro *se ipsa* positum est. sed perfacile nobis persuadetur grammaticum illum ad alium locum Tullianum iniuria temporis nobis ereptum spectare. consimiliter iudicabimus de eadem coniectura Halmii 136, 6, ubi tamen neque ipse neque quisquam alius eam in textum intrare iussit. quid denique dicemus de eo, quod novissime C. Büchner et 135, 14 et 136, 6 *sese ipsum* scripsit? vir doctissimus de librisque politicis Tullianis explanandis bene meritus nonne a tuta textus recensendi via aberravit, cum memoriam Somnii et Tusculanarum inter se permiscuit? ¹⁰⁾

3. 135, 17 dativum *principio* iam in archetypo Somnii extitisse omnes codices una voce proclamant. attamen in genetivo, qui est in Tusculanis, praeferendo Zieglerum eiusque sectatores ¹¹⁾ et iam illustres philologi praecesserunt ¹²⁾ neque nos obloquimur. nam genetivus, cum principium *ceteris, quae moventur* opponatur, praestat neque putaverim, Zieglerum (p. 272) videlicet secutus, Ciceronem in vertendis verbis ἀρχὴ δὲ ἀγένητον primum *principio autem nulla est origo* scripsisse et postea in dativi locum genetivum substituisse, praesertim cum in Tusculanis conscribendis Graecum ante oculos iam non habuerit. quam ob rem reiecta dubitatione Moseri ¹³⁾ Zieglerum, quem in hoc laudat ipse Hauler ¹⁴⁾, imitatus genetivum Somnio restitui malim.

4. Magna est dissensio omnium librorum in loco 135, 20 *quod si numquam oritur, ne occidit quidem umquam.* est enim

10) De ea re cf., quae infra ad 131, 8 dicuntur. lectiones *sese ipsum* (135, 14) et *sese ipsa* (136, 6) in Tusculanis esse perperam contendit Moser 505. 508. apud Meisterum l. c. Haulero adstipulantem per errorem scriptum videmus: p. 134, 5 (= 135, 14 editionis tertiae) *quod sese (Ziegler 'se') ipsum movet* et p. 135, 3 (= 136, 6 tert. ed.) *quae sese (Ziegler 'se') ipsa moveat.* cancellis enim utrobique non solum *se*, sed etiam *ipsum* et *ipsa* comprehendenda erant.

11) Castiglioni, Hommel, Büchner, Magariños.

12) ut Lambinus, Osann, Baiter, C. F. W. Müller, Landgraf. retinent lectionem codicum Mai, Moser, Orelli (qui tamen in apparatu scribit: *principii* ... in *Tusc. Recte*), Halm, Ian et Eyssenhardt in Somnio, Ferrero.

13) p. 505: *statim insequens 'principio' Lamb(inus) correxit 'principii', quod non rejicerem, si in libris MSS. reperiretur. Sed repetiit eam lectionem Lamb. ex Tusc. ubi est principii.* at p. 504 dicit Moser haec loca (scilicet rationem Platonis in *Tusc.* et in *Somnio*) sibi invicem ad emendandum inservire posse.

14) Cf. p. 186, ubi ceterum se textum rationis Platonicae a Zieglero et Landgrafio restitutum probare profitetur.

ne in Somnii codicibus A et B, in Macrobbii Parisino 6370 teste Iacobo Willis, in Tusculanarum disputationum libris vetustioribus. *nec* contra invenitur in ceteris libris Somnii et Macrobbii et altera Tusculanarum memoria traditum est. fuit quoque in earum codice Guelferbyitano, quod docet rasura post vocem *ne* facta. in tanta discordia testium tamen, quid Cicero scripserit, minime dubitare licet. nam *nec* — *quidem* numquam fere neque apud Tullium neque apud ceteros scriptores praestantissimos idem valet ac *ne* — *quidem*, sed iam inde a Vitruvio magis magisque haec vis vocabulo *nec* subicitur. apud scriptores posterioris aetatis, velut apud Macrobbium ipsum¹⁵⁾ *neque* saepe idem exprimit quod *ne* — *quidem*¹⁶⁾, quae notio etiam in Graeco οὐδέ inest. quam ob rem etiam alioquin saepius in codicibus *nec* traditum est, ubi procul dubio *ne* legi oportet.

Littera *c* hoc loco eo facilius addi poterat, quod librarii sine dubio iam subsequentem vocem *occidit* mente praeceperant¹⁷⁾. recte etiam me monuit A. Thierfelder facile fieri potuisse, ut *nec* compluries in vicinia positum¹⁸⁾ vocem *ne* sibi assimilaret. apte comparaveris similem errorem 135, 12 *alicunde* pro *aliunde*, qui e praecedenti *alicui* originem traxit. nam *alicunde* etsi in plurimis iisque antiquissimis et optimis membranis Somnii Macrobbii Tusculanarum disputationum obviam fit, tamen redarguitur ab ipso Platone teste gravissimo, qui ὅπ' ἀλλοῦ posuit; convincitur etiam a Cicerone, qui libris universis aduentibus paulo inferius sic argumentatur: *nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde*, etsi apud Platonem est εἰ γὰρ ἔκ του ἀρχῆ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἔτι ἀρχῆ γένοιτο. *ne* hic quoque restituendum esse eo apparet, quod paulo ante (135, 15) similiter *ne moveri quidem desinit* dixit, id quod iam Ziegler

15) Duo exempla attulisse satis habeo: II 15, 30 *constat motum corpori non inesse, si nec animae inest*; ibid. *numquam ex duplicatis similibus contrarietas emergit. ergo nec ex duabus immobilibus motus erit*.

16) Cf. Kühner-Stegmann II p. 44—46; Stolz-Schmalz, Lat. Grammatik, ed. quinta parata a M. Leumanno et I. B. Hofmanno, Monachii 1928, p. 641.

17) Quod genus vitiorum haud raro existit, cf. L. Havet p. 135 sq. (§§ 470—482. 710 sqq., imprimis 713). in erroribus similibus unus quisque nostrum se deprehendere potest, velut in hac dissertatiuncula delineanda mihi ipsi haec e calamo elapsa erant: *tempus quo* pro *tempus quo*, *sivi id* pro *sive id*, *versi simile* pro *veri simile*, *genere dicenda* (pro *dicendi*) *aliena*.

18) Vers. 19. 21. 22.

rectissime adnotavit¹⁹). laudare igitur non possumus eos editores, qui *nec* retinere maluerunt²⁰).

Libris Somnii A et B genuinum textum servari non crediderim. multo veri similis mihi quidem esse videtur aliquem correctorem olim vitium eiecisse, praesertim cum paucis versibus ante *ne moveri quidem* legerit. quid autem Macrobius scripserit, incertus haereo. e codicibus adhuc investigatis unus Paris. 6370 veram lectionem *ne* praebet neque temere iudicaverim eam e coniectura provenire, siquidem idem codex unus (si modo unus est) rectam lectionem *numquam* in eadem periodo servavit. suspicor hunc testem vetustissimum a ceteris seiunctum suaeque potestatis esse, sed tamen molestum est de eius indole e quinquaginta vel sexaginta lectionibus, quae solae mihi beneficio Iacobi Willis innotuerunt, iudicium facere. si Macrobius scripsit *nec*, aut eam lectionem iam in suo habuit et intactam reliquit, quod eandem iam in Tusculanis disputationibus vidit, aut falsam scripturam e Tusculanis in librum suum transtulit, sicut etiam 135, 26 *et* perperam delevisse videtur Tusculanis falso suggerentibus²¹). sin autem posuit *ne*, hanc lectionem veram aut in suo invenit et Tusculanis confirmari vidit aut e Tusculanis in suum transposuit. nam minus veri simile esse videtur propter causas, quas supra exposui, eum *ne* coniectando restituisse.

5. 130, 24 *cui* codd. *huic* Macr.: Ziegler primus, quantum scio, lectionem Macrobi in editione altera amplexus est, in tertia retinuit. quem secutus est cum Hommel tum praeter consuetudinem Büchner. cum optimi Latinitatis scriptores imprimisque Cicero magis magisque assuevissent sententias pronomine relativo pro demonstrativo vel determinativo usi praecedentibus adiungere, eam consuetudinem post auream aetatem auctores praeter rerum scriptores et antiqui sermonis studiosos ut Apu-

19) Hermes 66, 1931, 272.

20) Ut Osannum ita Ianum et Eyssenhardtium dico, quorum uterque cum in opere Macrobi tum in Somnio edidit *nec*. nam Zieglerum (l. c.) postea haud mediocriter paenituit in altera editione, quam secutus est Boyancé (cf. praef. eius p. 12), *nec*, quod in editionem primam receperat, retinuisse. quod in editione prima H. Hommelii (a. 1946) invenitur *nec*, certe typhotetae vel correctoris negligentiae vitio vertendum est, cum p. 99 dicat se cum Zieglero (l. c.) scripsisse *ne* (quod legimus in editionibus a. 1953 et 1955).

21) Cf. supra p. 268, 10; 275, 47; 347.

leium minus frequenter observare solebant²²). quam ob rem Lörcher suo iure scripturam Macrobbii tamquam faciliorem ab ipso in textum introductam esse suspicatus est. Zieglero (p. 276) respondemus sententiam primariam cum praecedenti periodo pronomine relativo copulatam aliquantum differre ab enuntiato vere relativo ideoque hoc loco nihil opus esse pronomini relativo demonstrativum antepone, ut nova sententia enuntiativis relativis praecedentis periodi digne opponatur. cumque correcturae ipsius auctoris nullae sint, lectionem codicum retinendam esse putarem, nisi Ciceronem continuae pronominis relativi iterationis taederet (cf. 133, 11 *ex his* 136, 7 *hanc*).

6. Ex contrario 134, 12 apud Macrobbium et in codicibus AE *cuius*²³), in ceteris *huius* traditum est. lectio codicum plurimorum est facilior, melior Macrobbii, quae fortasse posterius in codices AE reversa fraudem archetypi omnium codicum depulit. quam ob rem non pauci editores scripturam codicum falso arripuerunt²⁴).

7. 131, 13 Halmii distinctionem *quid hic?* (producta vocali in *hic*) parum probabilem nemo, quod sciam, amplexus est. Ziegler in editione altera a. 1929 interpretatione Graeca Maximi Planudis²⁵) duce restituit *quid hoc? inquam, quis est.* in quo eum laudavit anonymus, qui de ea editione iudicavit in ephemeride societatis Budaeanae²⁶), et secutus est Büchner multo post quam coniecturam ipse Ziegler iustis de causis abiecerat. nam si *hic*, quae vox ab Africano nepoti respondente suscipitur, e medio tollitur, figura interrogationis responsioni aequatae²⁷) male disturbatur. eodem iure Ziegler a coniectura, quam deinde propositurus erat, *quid hoc? inquam, hic quis est* postea destitit. nam quae ad corruptelam, quam putat, explicandam affert, argutiora sunt quam ut credi possint. neque magis probandus Ziegler nobis videtur, quod postremo cum codicibus GRVL²

22) Cf. Leumann-Hofmann p. 717, § 283. abundat exemplis copulationis relativae Favonius Eulogius, qui in ea re Ciceronem aemulatur.

23) E codicibus Willisianis unus γ , quem contaminatum esse iam supra (p. 278, 57) indicavimus, habet *huius*.

24) Maium, Moserum, Orellium, Osannum, Ianum (in Somnio), Ferrero dico.

25) Cui eam post Hardtium et Hasium Ph. C. Hess recte vindicavit, cf. C. Wendel, RE XX 2, col. 2243.

26) Bulletin de l'Association G. Budé, suppl. critique 2, 1930, 147; cf. Ziegler, Hermes 66, 1931, 300.

27) Quam iam Hauler 94 et Brakman 389 animadverterunt.

pronomen masculinum pro neutro substituit et codicem R secutus alterum *quis* quasi moleste iteratum delevit²⁸). verum enim vero alterum *quis* minime aegre feremus, cum sit maxime idoneum ad adolescentis stupefacti ardorem animi exprimendum, id quod iam Hauler recte vidit. receperant iam pridem lectionem codicum GVL² *quis hic, inquam, quis est* Heinrich, Moser, Osann, Orelli. quae profecto inter omnes, quae textui adhuc adhibitae sunt, medelas minimo sumptu facta est. dum igitur interrogaturus est *quis est hic sonus?*, oratio Aemiliani tanti tamque dulcis miraculi novitate oppressi propter animi stupentis commotionem praecipitat, ut interrogatio ἀνακολούθως iteretur.

8. Ad ea, quae Africanus 131, 13 sqq. interrogavit, Paulus respondet: *hic est ille, qui intervallis coniunctus* (sic codd., *disiunctus* Macr. II 1, 2; 2, 21; 3, 12. 16²⁹); Fav. 45, 11; 47, 3 ed. v. Wedd.) *imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis, impulsu et motu ipsorum orbium efficitur, et acuta cum gravibus temperans varios aequabiliter concentus efficit*. video editores vetustiores ab Angelo Maio profectos (Moserum, Orellium, Osannum dico) codices pluris facere quam commentatores Somnii, e recentioribus, qui Macrobius sequi solent, solos Boyancé et Ferrero ad codices revertisse. videntur sane duo testes antiquissimi, Macrobius et Favonius, unum archetypum omnium codicum, qui illis aetate inferior esse videtur, facile superare. in quo tamen cave ne fallaris. quaerendum est enim, quid testimonium Favonii valeat. primum igitur recenseamus eos locos, quos auctor Disputationis de Somnio Scipionis ex ipso profert aut certe tangit; sunt autem hi:

(1) 130, 19 sq. *novem tibi orbibus vel potius globis conexasunt omnia* = Fav. 35, 17 *novem tibi orbibus conexasunt (sint cod.) omnia*.

(2) 131, 24 sq. *nam terra nona immobilis manens una sede semper haeret* = Fav. 33, 19 *nam terra nona immota semper sede manet*; 37, 22 *nam terra nona immota semper sede consistens . . .*

28) Hermes I. c. et in editione tertia. Ziegleri lectionem recepit Hommel.

29) In quibusdam codicibus Willisianis est *distinctus* (in α II 1, 2; 3, 12; in β II 3, 12) vel *distinctis* (Cotton. II 3, 12). *coniunctus* habet δ (II 1, 2), certe e contaminatione.

(3) 131, 14 sq. *quis est qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus?* = Fav. 45, 6 sq. *quis est qui implet aures meas sonus (implet mox repetitur).*

(4) 131, 20 sq. *ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent*, cf. Fav. 47, 3 *nam cum, sicut ipse nos docuit, ex alia parte acutum personet mundus, ex alia grave.*

(5) 132, 3 sq. *quod docti homines nervis imitati atque cantibus aperuerunt sibi reditum in hunc locum* = Fav. 45, 1 sq. *quam imitati docti atque sapientes aperuerunt sibi reditum in caelum.*

(6) locum Ciceronis, de quo agitur (131, 13 sqq.), ex parte exscripsit Fav. 45, 10 *hic est, qui*³⁰⁾ *intervallis disiunctus imparibus*, plenius autem 47, 2 sqq. *qui intervallis disiunctus imparibus*³¹⁾, *sed tamen pro rata parte ratione dispositis impulsu eorum orbium efficitur*³²⁾.

Excerptis Favonianis cum verbis ipsius auctoris illustrissimi collatis apparet explanatorem Somnium non ad verbum descripsisse. neque mirum; ipse enim profitetur libere se de numeris scripsisse, quod sine libris in agello positus potuerit reminisci (37, 15 sq.). inde efficitur eum ne Rem publicam quidem Tullianam secum habuisse locosque memoriter laudavisse. nihil igitur valet talis testis, quotienscumque contra consensum ceterorum testium dicit. eius generis sunt, quae loco primo, altero, tertio (*complet — implet*) proferuntur. neque maiore fide dignus est, ubi unus contra unum archetypum testatur tacente Macrobio, quod evenit eo loco, quem numero quinario insignivimus. aliter autem se habet res, ubi testimonium Favonii consonat cum Macrobio contra codices, ut est in loco sexto, de quo sermo noster est (*disiunctus — coniunctus*).

30) Censuit igitur interpungendum esse: *hic est, inquit ille* (i. e. Africanus), *qui . . .*, non: *hic est, inquit, ille* (scil. sonus), *qui . . .*; cf. de ea re Hauler p. 94.

31) Cf. 45, 13 *disparibus*. recte Paulus de Winterfeld in margine plagarum editionis Holderianae, quas Carolus Preisendanz, qua est humanitate, benigne mihi ministravit, apposuit: '*Disparibus* glossiert Ciceron *imparibus*.'

32) Cf. etiam 130, 12 sq. *ultima a caelo* ~ Fav. 21, 23 *ima a caelo*. nihil nobis prodest Ambrosius, qui hunc de caeli concinentia locum ex parte ad verbum exscripsit (Hex. 2, 2, 6): *eoque impulsu et motu ipsorum orbium dulcem quandam et plenum suavitatis atque artis et gratissimi modulaminis sonum reddi, quoniam scissus aer tam artificii motu et acuta cum gravibus temperante ita varios aequabiliter concentus efficiat, ut omnem supergrediatur musici carminis suavitatem.*

Sed iudici, qui verum cognoscere studet, ipso Tullio hortante³³⁾ testimonia non numeranda, sed expendenda sunt, cum bona plus quam mala valeant. mihi quidem editores qui *disiunctus* receperunt, minus rem quam speciem verborum et numerum testium respexisse videntur. recte enim dicere potuit Cicero sonum, quo concentus orbium sive symphonia mundi significatur, intervallis coniunctum esse. nam intervalla, quae Graece *διαστήματα* vocantur, sicut ipsa ex sonis sive phthongis constant, partes sunt systematum. ea autem principales portiones vocis canorae habentur³⁴⁾. subtilius igitur si rem exquirimus, non concentus orbium intervallis disiunctus est, sed coniunctus vel compactus³⁵⁾ ex sonis, qui intervallis inter se disiuncti sunt (132, 1) et varios concentus efficiunt (cf. 131, 18 sq.).

Dicet fortasse quispiam mirum esse, si Favonius in eundem errorem incidit atque Macrobius. respondemus non quidem absonum esse utrumque in eundem errorem abreptum esse, praesertim cum mox *distinctis* sequatur³⁶⁾ magisque disiungere quam coniungere intervalla videantur; sed tamen multo magis nos suspicari aut memoriam huius loci antiquitate exeunte iam duplicem fuisse Favoniumque idem quod Macrobius in suo invenisse aut Favonium ipsis Macrobiani excerptis niti. neque enim editor novissimus Favonii, Rogerus-E. van Weddingen, mihi persuasit, cum diceret Macrobius non contentum Disputatione tenui et exili Favonii Somnium multo uberiore et copiosiore commentario illustrare voluisse³⁷⁾. immo multo veri

33) Cf. rep. VI 1, p. 122, 21 sq. Ziegler.

34) Fav. 39, 2 sqq. = Chalcid. 44, p. 110, 9 sqq. W. (cf. F. Skutsch, Zu Favonius Eulogius und Chalcidius, Philol. 61, 1902, 196) = Theo Smyrn. 49, 7 sqq. H. (cf. C. Fries, De M. Varrone a Favonio Eulogio expresso, Rhein. Mus. 58, 1903, 124). qui omnes ab auctore multo antiquiore repetendi sunt. praeterea cf. Aristox. I 15 p. 21, 6 sq. Da Rios: τὸ δὲ σύστημα συνθετὸν τι νοητέον ἐκ πλείονων ἢ ἐνὸς διαστημάτων quique eum secuti sunt: [Cleonid.] isag. 1 (Mus. script. Gr. ed. Ian p. 180, 2); Nicomach. Ench. 4 (p. 243, 4 sq. Ian) et 12 (p. 261, 19 sq. Ian); Bacch. isag. I 5 (p. 292, 18 l.); cf. Thrasyll. ap. Theon. Smyrn. 48, 10 sq. H.

35) *Coniunctus* = *compactus*, oppos. *simplex*: Cic. part. or. 16; inv. 1, 17 (v. l. *iuncta*); Quintil. 3, 6, 94; 3, 10, 1; 6, 1, 54; *iunctus* eodem sensu cum mero ablat. Boeth. arith. I 1, p. 8, 16 F. (*suis partibus iuncta*); cf. Thes. l. lat. IV col. 337, 3.

36) Iam vidimus *distinctus* vel *distinctis* in quibusdam codicibus (cf. supra not. 29) vocem, de qua quaestio nostra est, totam e sede sua eiecisse in eiusque locum successisse.

37) praef. editionis p. 7 sq.

similius esse mihi quidem videtur Favonium iam libro Macrobii usum esse³⁸⁾.

Cui opinioni praesertim ipsa utriusque operis exordia inter se comparata favere videntur. Macrobius enim, postquam exposuit, quae ratio inter res publicas Platonis et Ciceronis intercederet, sibi dicendum esse existimat, a quo genere hominum Tullius Platonis fabulam de Ere Pamphylo e morte in vitam reverso irrisam esse memoret. docet igitur illum his verbis totam sectam Epicureorum intellegi voluisse imprimisque Colotem, qui accusationem Platonis scriptam reliquerit. quem Platonem reprehendisse, quod fabulas comminisci philosophis non conveniret (I 2, 1—4). in quo crimine depellendo totum caput alterum prioris libri versatur, ut ea calumnia dissoluta cum Platonis tum Ciceronis fabula incolumem retineat dignitatem (I 5). Favonium vero ea, quae Macrobii capitibus I et II continentur, in unam periodum ita contraxisse videmus, ut eius sententiam leviter deformaret. namque Epicureos quidem memorat, Colotis autem, qui primas inter eos egit, oblitus est. Ciceronem, quam idonea sit fabula Platonis ad veri significationem, intellexisse, sed propter reprehendentium insipientiam Africanum somniantem introduxisse putat Macrobius (I 1, 9). Favonius contra ipsius Colotis convicia probare videtur, cum dicit Ciceronem rationabili somnii imaginatione indicare voluisse ea, quae de immortalitate animi caeloque dicerentur, (neque) vana esse philosophorum commenta neque fabulas incredibiles, sed virorum prudentium, qui in negotiis publicis versarentur, coniecturas.

Favonius cum Macrobio in eo quoque consentit, quod Ciceronem similiter ac Vergilium interiore ac mystica sapientia imbutum esse arbitratur doctissimosque illos Romanorum non discrepantia, sed consona eademque dicere existimat^{38a)}. qua de causa e commentario aliquo Platónico in Vergilii Aeneidos librum sextum locos quosdam ad Ciceronis verba illustranda excerpit^{38b)}. Macrobius denique defensionem Platonis aequae ac

38) Favonius librum Disputationis post Macrobius composuisse iam Holdero visus est (p. VIII). W. H. Stahl in praefatione Commentariorum Macrobii Anglice versorum p. 39 asserit non esse, cur Macrobius Favonium novisse putandus sit.

38a) Cf. 31, 5; 35, 27. 37; 37, 10; 47, 2. locos Macrobii (Somn.) supra notavi (p. 282, 80); quibus addas I 7, 4.

38b) Cf. 31, 5 ad Aen. VI 272; 35, 27 sqq. ad Aen. 439. quos locos Vergilianos Macrobius ne in Saturnalibus quidem laudat, immo sententia eius de natura coloris (Sat. VII 14) Favonii opinioni repugnare videtur.

Proclus in Plat. remp. II p. 105 sq. Kroll ex ipsis Porphyrii commentariis in rem publicam hausit^{38c}), Favonius autem solis auctoribus Latinis niti videtur^{38d}), ob eam quoque rem Favonium exordium suum Macrobio debere crediderim, nisi cum Courcellio (p. 23, 1) suspicari malueris utrumque comparationem illam Platonici Tullianique operis in commentario aliquo Latino deperdito invenisse.

Quae vanWeddingen ad opinionem suam fulciendam affert, nihil ad id, quod vult, probandum proficiunt. nam quod Favonius sermonem suum in duas partes divisit, ad duos quidem Macrobianos libros spectare videtur³⁹), ita tamen, ut ex utroque singula argumenta hauserit⁴⁰). neque enim Macrobius profitetur se posteriore libro de sphaerarum symphonia disputaturum esse, sed postquam superiore libro ad stelliferae sphaerae cursum et subiectarum septem sermo processerit, se iam ad musicam earum modulationem progredi. apparet igitur eum alterum librum a sonis orbium caelestium initium sumere voluisse, sicut prior in disputatione de eorum cursibus desierit. porro Macrobius si divisionem Favonii sequi in animo habuisset, debuit dicere se priore libro de numeris disseruisse.

Neque id credere possumus Macrobius II 4, 11 Favonii locum 37, 27 sqq. tangentem ipsum perstringere voluisse, siquidem Favonius neque eo loco neque alibi speciem ostentantis, sed potius viri probi et modesti minimeque ambitiosi prae se fert⁴¹), sed alios quosdam, qui de ea re copiosius disserere

38c) Cf. Mras, Makrobius' Kommentar zu Ciceros Somnium 235—237; Boyancé, Etudes sur le Songe de Scipion 45 sq.; Courcelle, Les lettres grecques en occident² 23; Stahl, Macrobius Commentary on the Dream of Scipio 32 sqq.

38d) Cf. C. Fries op. laud.; K. Prächter, Hermes 46, 1911, 407 sqq.; supra de commentario in Vergilium. loco de fontana anima (37, 1 ff.) Porphyrii doctrina subest e dissertatione περί Στυγός sumpta, cuius vestigia etiam apud Macrobius (Somn. I 11, 4 sqq.) et Servium (Aen. VI 439, p. 66, 25 sqq.) deprehendimus. quam Macrobius ex ipso Porphyrio, Servius et Favonius e commentario Latino hausisse videntur; cf. E. Norden, P. Vergilius Maro Buch VI, ed. quarta, Darmstadii 1957, 26; F. Cumont, Les religions orientales dans le paganisme romain⁴, Parisiis 1929, 301, n. 28; Courcelle 29 sq.

39) Nisi duo capita Favonii magis casui quam consilio tribuenda sunt: cf. Fav. 13, 20 sq. *ad alia quoque audacius, quae iubere dignaris, operam stilumque convertam.*

40) Conferas cum Favonii parte priore Macr. I 5—6, cum posteriore Macr. II 1—4.

41) Cf. totum caput XXVIII (p. 49, 15—20 v. Wedd.) et alios quosdam locos (p. 37, 15 sq.; 13, 14 sqq.).

solebant. cur autem proconsulem provinciae Byzacena ab oratore Carthaginiensi, quem illius magistrum fuisse perlibenter crediderim⁴²⁾, non peteret explanationem quorundam locorum Somnii, etiamsi opus Macrobianum tum temporis iam exstaret? Quid? ipse Favonius nonne confitetur se explicationem de numero quinquagesimo sexto non ut novam ignotamque Superio proponere, sed in recordationem reducere (13, 14 sqq.)? nonne argumentum ipsius Somnii, quod Superius certe non ignorabat, breviter exposuit (13, 7—16)?

Quae si ita sunt, lectionem *disiunctus*, quam Favonius e Macrobio sumpsisse videtur, ipsi Macrobio vitio dandam esse censeo, quippe cui displicuerit sonum intervallis coniunctum esse. quid mirum, si huic quoque loco ingenio suo confisus manum medicam adhibendam esse putavit?

9. 129, 17 Macrobiani codices omnes fere inter se consentire videntur in hac scriptura: *nisi enim cum deus is*⁴³⁾, *cuius hoc templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest*. librorum autem Somnii magna dissensio est: est enim *cum* in ABFGTUVY⁴⁴⁾, non invenitur in CHLMRWZ; *nisi enim* desideratur in Y, *enim* deest in A neque abest suspicio, quin aliqui librarius eam vocem in exemplari suo per compendium expressam in *cum* corruerit⁴⁵⁾. lectionem codicum CHL etc. ingens turba editorum inde a litteris renatis usque ad nostram aetatem arripuerunt⁴⁶⁾. neque praeter editores desunt, qui aut dubitaverint de

42) Quis enim nisi qui eius familiaris aut magister erat, auderet precibus proconsulis tumultuaria, non meditata lucubratione (49, 16 sq.), dum ruri commoratur sine libris (37, 15), satisfacere? in magistrum vel maxime cadit virum, qui iam summum gradum dignitatis ascendit, propter studium discendi collaudare (49, 18 sq.). summa autem reverentia, quam alioquin adversus virum clarissimum atque sublimem (13, 18) ostentat, urbanitatis est. videtur proconsul provinciae Byzacena et ipse ex Africa oriundus olim scholas oratoris Carthaginiensis frequentasse neque postea dilecti quondam magistri oblitus esse. quam ob rem dicere potuit Favonius se ea in memoriam revocare velle, quae Superius haud ignoraret (13, 16 sqq.), videlicet quod se Somnium explanantem audivisset.

43) Codices Willisiani habent *nisi enim cum deus hic* praeter $\alpha\delta$, qui *cum* omiserunt (deest γ).

44) De A nihil statuit Ziegler.

45) Cf. Hauler 93, qui *διτογραφία* compendii vocis *enim* scripturae *cum enim* subesse putat. codicem A Hauler ignorabat.

46) Videas, quos Moser 481 enumeret vetustiores. quibus adduntur recentiores recentissimique Ochsner, Moser, Orelli, Osann, Baiter, Halm,

lectione *cum* ut Lörcher⁴⁷⁾ aut eam omnino repudiaverint ut Hauler (licet parum firmis rationibus usus sit), quem secuti sunt Ricardus Meister popularis eius⁴⁸⁾ et Guilelmus Kroll⁴⁹⁾, is quidem nulla alia ratione reddita nisi quod scripturam Macro-
bii se non intellegere diceret. novissime etiam H. Hommel *cum*, quod primo tutatus erat, e textu eiecit⁵⁰⁾.

Quorum sententiae accedere non possum, cum Cicero cum aliis locis haud ita paucis tum hic dicat *nisi cum* ad indicandum tempus, ante quod fieri non possit ea res, de qua agitur⁵¹⁾. neque enim dicere vult Africanus fieri non posse, ut Aemilianus in caelum revertatur, si ipse, non deus corporis vincula solverit, sed eum illuc redire non posse, priusquam deus eum libera-
verit, i. e. ei non statim, sed tum demum aditum ad sedem bea-
torum patere, cum deus eum e carcere huius vitae eduxerit. properat enim Scipio adulescens ad Africanum avum Paulum-
que patrem venire neque diutius in terris morari vult (129, 15 sq.). Brakmanno igitur assentior *cum* defendenti⁵²⁾, nisi quod ad confirmandam sententiam suam tantummodo enun-
tiata principalia affirmativa, quibus secundaria coniunctionibus *nisi cum* annexa sunt, attulit. ea quoque, quae Kühner et Steg-
mann proferunt⁵³⁾, eiusdem generis sunt. plaudimus igitur Zieglero et Castiglioni, quod non dubitaverunt coniunctio-
nem temporalem retinere⁵⁴⁾.

C. F. W. Müller, Landgraf, Büchner, Magariños. *nisi deus is* (om. enim *cum*) scripsit A. Mai.

47) Bursians Jahresbericht 208, 1926, 28.

48) loc. cit. (cf. not. 3).

49) Gnomon 12, 1936, 620.

50) *cum* abest a tertia et quarta editione a. 1953 et 1955. alteram non inspexi.

51) Exempla *cum* enuntiatis primariis negativis haec inveni: div. I 113 *nec... unquam animus hominis naturaliter divinat, nisi cum... solutus est*; II 56 *an illae aves, nisi cum vicerunt, canere non solent?* Verr. II 34 *ex lege Rupilia sortitio nulla (erat), nisi cum nihil intererat istius*; Tull. 49 *istae ipsae leges... significant, quam noluerint maiores nostri, nisi cum perneccesse esset, hominem occidi*; Att. IV 2, 3 *ego statueram illuc non accedere, nisi cum consules... porticum restituendam locassent*; X 18, 2 *perge, quaeso, scribere nec meas litteras exspectaris, nisi cum quo opto pervenerimus*; XIV 15, 2 *nec vero discedam, nisi cum tu me id honeste putabis facere posse*; fam. III 7, 2 *cum ego cognoscere non possem, nisi cum me ex Cilicia recepissem*. *cum* enuntiatis interrogativis: div. II 15; Planc. 34.

52) Mnemosyne 51, 1923, 385.

53) II p. 417.

54) Moser 481 (cf. Osann 377) eandem lectionem iam in editionibus Ascensiana, Roberti Stephani, Veneta et Victorii vidit. ego eam repperi

De vera lectione iam archetypus omnium codicum dubitavisse videtur, nisi velis putare varios lectores vel librarios suis ingeniis fretos particulam *cum*, quippe quae non ferenda videretur, delevisse. nam haud scio an ex alio libro in tot tantosque codices translata non sit. de duplicibus lectionibus archetypi aliis quoque locis cogitaverim, videlicet ubicumque testes in duas partes fere aequales discedunt⁵⁵).

10. 131, 8 in libris manuscriptis legimus: *infra autem iam nihil est nisi mortale et caducum*, apud Macrobius *infra autem eam* (scil. lunam), quod Zieglero eo maxime praefendum esse videtur, quod *infra eam* respondeat ad verba mox sequentia *supra lunam sunt aeterna omnia*. Harder contra lectionem *iam* tuetur, quae sola loci sententiae plane conveniat. quodsi Ziegler postremo in editione tertia utraque voce recepta *infra autem eam iam nihil est* scripsit⁵⁶), a sana ratione textus recensendi in errore abreptus esse nobis videtur. etenim si Ziegleri scriptura vera et genuina esset, et archetypus Somnii et Macrobius miro quodam casu eodem loco consimiliter peccavisset. quid rectum sit, *eam* an *iam*, non tam facile est diiudicatu quam editoribus fere universis, qui partes codicum Somnii sequantur⁵⁷), videtur. fieri tamen potuisse mihi quidem videtur, ut Macrobius iis ipsis de causis quibus *eam* praefendum esse aliquis putat, hanc vocem e *iam*, quod in suo invenisset, restitueret⁵⁸).

11. 132, 8 *praecipitatur* EFLR²UV *praecipitat* cett. plurimi editores cum codicibus praestantissimis faciunt neque id im-

apud Ianum et Eyssenhardtium (in Somnio dico), Boyancé, Ferrero, Hommel (de quo vid. supra n. 50).

55) Exempla habes haec fere: 128, 22 *leniter* — *leviter* 133, 17 *loquuntur* — *loquentur* 134, 2 *populariter* — *loquulariter* 134, 8 *hominibus* — *omnibus* (cf. supra p. 274, 42) 135, 12 *aliunde* — *alicunde* 135, 27 *impulsa* — *impulsu*. Macrobius 129, 17 *cum* 134, 2 *populariter* 134, 8 *hominibus* 135, 12 *aliunde* (II 13, 1 et 15, 20) aut in suo recta vidit aut e duplicibus lectionibus meliores vel potius veras selegit. 135, 27 autem *iam* in falsam lectionem *impulsu*, quae est in plerisque libris Macrobianis, incurrisse videtur. de duplicibus lectionibus in archetypo palimpsesti Vaticani aliorumque codicum librorum de re publica saeculo IV extantium cf. Ziegler, Hermes 51, 1916, 267 sqq.; in universum G. Pasquali, Gnomon 5, 1929, 498 sq.; Storia della tradizione e critica del testo², Florentiae 1952, 113. 194 sqq. 210. 391.

56) In quo eum nemo imitatus est nisi Hommel.

57) *eam* praeter alteram editionem Zieglerianam unus Ferrero approbavit.

58) Cf. cum hoc loco Vell. I 8, 6 *iam* ed. princ. Basil. *eam* coni. Heinsius (Osann 387).

merito⁵⁹). nam quamquam verbum praecipitandi etiam transitive ponitur a Cicerone⁶⁰), genus medium nusquam nisi uno loco extat, de quo dubitari licet rectene traditus sit. palimpsestus enim Vaticanus in alterius de re publica § 43 praebet: *unius vitio praecipitata in perniciosissimam partem facillime decidit* (scil. ea forma civitatis). cum eo loco conferas rep. I 69: *non subest, quo praecipitet ac decidat*, quod eodem spectat quo II 43, praeterea Sest. 25' *qui non modo praecipitanti patriae non subvenirent*. plurima autem exstant in palimpsesto exempla litterarum uncialium E et A inter se commutatarum⁶¹). quam ob rem nescio an etiam rep. II 43 *praecipitat et* primum in *praecipitata* degeneraverit idque postea in *praecipitata* male correctum sit. et in at eo facilius corrumpi potuit, quod littera a praecedit, cuius rei exempla collegit L. Havet⁶²). verbum praecipitandi a Cicerone etiam alibi intransitive de fluviis usurpari solet: cf. de or. III 186 *in amni praecipitante*, leg. II 6 *Fibrenus ... statim praecipitat in Lirem*; aliter Plinius nat. hist. VI 181 (I p. 506 Mayhoff) *ubi Nilus praecipitans se fragore auditum accolis aufert*. rectissime Andreas Thierfelder me monuit praecedentem formam *nominantur* vocem *praecipitat* sibi assimilavisse.

12. 132, 22 Castiglionium laudamus, quod unum Orellium secutus in Macrobii lectione *angustis locis* persistit⁶³). nam *angustis in locis*, quod codices tradiderunt, lectio facilior est⁶⁴), cui Cicero ipse repugnat, cum de nat. deor. II 95 scribit: *qui sub terra semper habitavissent bonis et illustribus domiciliis*, quem locum rectissime attulit Castiglioni⁶⁵). *in* propter antecedens *in terra* facillime se insinuare potuit⁶⁶). itaque miror omnes fere editores, in quorum numero etiam Ziegler est, vestigia codicum premere.

59) *praecipitatur* Baiter, Halm. quae lectio varians Landgrafio (p. 31) haudquaquam spernenda videbatur, etsi eam textui non inseruit.

60) Cf. Tusc. IV 41 *se praecipitaverit*.

61) Collecta sunt a Zieglero, Hermes 51, 1916, 270.

62) op. laud. § 485.

63) Lectionem Osann 394 sq. quoque laudat, quamquam eam a textu arcuit.

64) Similia apud Iuvenalem inveniuntur: cf. Knoche, op. laud. 298. 318.

65) Cf. Kühner-Stegmann I p. 348 § 79, 2b, qui dicunt apud praestantissimos scriptores iam merum ablativum praevalere.

66) Cf. Havet §§ 545 sqq.

Iam ad finem totius dissertationis properantes paucis quaedam coniecturas absolvemus, quibus critici lacunas plerumque exiguas, quas suspicati sunt, explere voluerunt.

13. 130, 5 *corpore relaxati* LPV *corpore laxati* cett. et Macr. lectio codicum LPV Osanno placuit. quae, etiamsi eam a coniectura profectam esse mox demonstrabimus, tamen primo obtutu voluntatem editoris sibi conciliat. nam, ut ipsius Osanni verbis (p. 381) utar, firmata est Tulliani loci, quem Moserus attulit (scil. de sen. 81), auctoritate nec interceptae syllabae *re* causa quemquam latet (potuit enim propter repetitionem excidere, id quod palaeographi ἀπλογραφίαν appellant). locus autem e Catone maiore laudatus hic est: *cum se plane corporum vinculis relaxaverint*. vocem relaxandi maxime quadrare, ubi animi corporum vinculis soluti rursus, unde profecti sunt, illuc reverti dicuntur (cf. 129, 3), neminem latet. iamvero verbi compositi multo frequentior est usus Ciceronianus quam praepositione loquelari carentis, quod in orationibus plane desideratur, in operibus philosophis praeter illum, quem in medium protulimus locum, bis tantum deprehenditur, ter in epistolis⁶⁷⁾. at Ciceronem videmus in Somnio poetico more verba simplicia adamavisse⁶⁸⁾. complosio etiam syllabarum concinentium aures legentium offendit ob eamque rem a Tullio et poetis praestantissimis devitatur⁶⁹⁾.

14. Similibus blanditiis se in nostram amicitiam insinuat Meissneri coniectura 130, 26 *illa* {*stella*}. *stella* post vocem *illa* propter similem terminationem vel utriusque vocis concentum ab aliquo librario transiliri potuit nec incommode textui reddi videtur, si conferas totum de stellis vagantibus in secundo de natura deorum locum (§ 52 sq.): *ea quae Saturni stella dicitur — Iovis stella — Saturni stella — stella Martis — stella Mercurii — stella Veneris*; div. II 91 *Mercuri stella — a Veneris . . . ad Martis . . . ad Iovis . . . ad Saturni stellam*. neque tamen textum vitiosum esse tibi persuadere poteris, cum contuleris 132, 8 *ad illa quae Catadupa nominantur* et Favon. p. 45, 4 *in illum qui dicitur galaxias*.

67) Tusc. I 44 *laxati curis*; Cat. mai. 7 *libidinum vinculis laxatos*; fam. V 14, 3 *te molestiis laxes*; Att. XVII 7 *ut forum laxaremus*; VI 2, 1 *ex eo quo astricti sumus, laxari aliquid velim*.

68) Cf. Meissner-Landgraf in introductione p. 8, n. 21; A. Ronconi, Studi G. Funaioli, Romae 1955, 394 sqq.

69) Cf. Leumann-Hofmann p. 800 sq.

15. Neque Osanni lectioni *relaxati* nec Meissneri scripturae, quam modo tractavimus, fortuna favit. coniecturae autem I. G. Gronovii, summi quondam philologi, 130, 13 *citima* (*a*) *terris*⁷⁰⁾ melius successit. nam susceperunt eam cum vetustiores quidam editores velut Müller et Landgraf tum novissimi fere omnes, dicimus Zieglerum, Castiglionium, Hommelium, Büchnerum, Boyancé, Ferrero. quam facile praepositio *a* praetermitti potuerit, docet 135, 27 *qua a primo*, ubi *a*, quod tamen recte se habet, in Tusculanis deest. pariter *a* post *ultima* (130, 13 *ultima a caelo*) in BV et recentioribus haud paucis desideratur⁷¹⁾. sed *citimus* cum dativo aequae ac *proximus*⁷²⁾ coniunctum a Chalcidio 72 *citimum terrae esse lunae globum* fulcitur, nusquam autem repperi *citimus a*, quod esset formatum ad similitudinem locutionis *proximus a*. cave autem credas *citima a terris* legi oportere propter subsequens *ultima a caelo*, ut figura, quam *παραλληλισμόν* Graeci apte dicunt, plenior evadat. hoc enim recte significatur lunam a caelo longo intervallo distare, illo eandem iam terrae appropinquare. quam differentiam ut indicaret, diversa ratione auctor locutus esse videtur.

16. 134, 15 sq. *si reditum in hunc locum desperaveris, in quo omnia sunt magnis et praestantibus viris*: Guilelmus Kroll in plagulis primae editionis Zieglerianae corrigendis⁷³⁾ temere coniecit *viris* (*plena*), quod Ziegler non quidem in textu reposuit, sed tamen dignum existimavit, quod in apparatu memoraretur. lectionem Krollii, quam iam Osann in Oxoniensi quodam libro extare rettulerat, etiam ex apparatu critico expelli aequum est, quippe quae coarguat philologum eximum parum intellexisse, quid loco quamvis dilucido efferre in animo haberet scriptor. similiter iudicabimus de Orellii lectione (*parata*) *omnia* ex altero codice Oxoniensi, ubi videlicet e margine in contextum penetraverat⁷⁴⁾, desumpta, quae etiam Hardero⁷⁵⁾ placere videtur. dicit autem Cicero reditum, in quo omnia sunt

70) Observ. lib. IV 11, p. 167 ed. Daventr. 1652 (locum e Mosero 484 sq. et Osanno 382 citavimus). idem coniecit J. N. Madvig, Advers. critica II 443.

71) De ea re recte iudicat Moser 484.

72) *proxima* pro *citima* in cod. Sangallensi 65 (s. XI exeunt.) inveniri testis est Osann 382.

73) Cf. Ziegler, praef. ed. primae p. XXIX.

74) e glossa Orellii; cf. Osann 405; Castiglioni ad loc.

75) Die Antike 7, 1931, 6.

magnis et praestantibus viris posita seu quem magni et praestantes viri omnibus viribus appetunt, quod iam Landgraf recte adnotavit⁷⁶).

17. Claudat agmen locus 134, 20, quo *dedideris* ABEPTU exhibent (quorum partes Castiglioni post Osannum, Ianum, Eyssenhardtium, Müllerum suscepit), *dederis* ceteri, quibus accessit Ziegler. *dederis* ex *dedideris* contractum quam *dedideris* e *dederis* amplificatum potius opinaberis. ut enim *dederis* facilius est ad scribendum, ita *se dare* multo minus frequenter reperitur quam *se dedere*⁷⁷), etiamsi non alienum est ab elocutione Tulliana. lectionem simplicioremodi ex uberiore facile prodiere loco 136, 13 (in quo editores inter se consentiunt) probatur: *dederunt* BCH *dediderunt* ceteri et Macrobius⁷⁸), cuius testimonium nos deserit 134, 20.

Moguntiae

Martinus Sicherl

76) Locus, quem Moser 501 attulit (Cic. leg. II 24 *animo videlicet, in quo sunt omnia*) non plane similis est, similior Sen. Cons. Pol. VII 4 (*in hoc tibi omnia sunt*), quo Magariños nos delegat. bene Ferrero explicat omnem rationem vitae magnanimis collocatam esse in proposito ultra terram sito (cf. 132, 3 sq. *quod docti homines nervis imitati atque cantibus aperuerunt sibi reditum in hunc locum*). recte locum etiam Magariños et Büchner interpretantur. falso post Lehnerum (1823) Castiglioni, Boyancé, P. Doll (Gymnasium 60, 1953, 132 *wohin pro worauf*) pronomen relativum ad locum spectare opinantur.

77) Eaque de causa lectio difficilior *dederis* recepta esse videtur a Maio, Mosero, Halmio, Baitero, Landgrafio, Zieglero, Hommelio, Büchnero, Boyancé, Ferrero.

78) Etiam codices Willisiani habent *dediderunt* exceptis α et β , cuius scripturam correxit manus altera.